

dem quoque ex isto facto illicito jus acquirere lucrumve facere prohibet. vid. *D. Pufendorf* de officiis I, 9. 18. Cæterum non obstat, quod dicitur *hosti fidem datam esse servandam*. Nam & heic videndum est, hostis jure an injuria ad promittendum nos compulerit, quâ de re prolixus *D. Pufend.* VIII. 8. 1. p. 1187. insuperque distinguendum venit, inter pacta, quæ ad pacem tendunt, & inter ea quæ statum belli relinquunt. Vid. *Idem* d. l. 8. cap. 7. §. 2. Cessante igitur promissione principali, expirare videtur juramentum; accessori-um quippe, cuique obligatio in se valida perpetuò substernitur. vid. l. 5. *in fin.* C. de LL. it. l. 129. §. 1. *D. de reg. jur.* cui non obstat l. 178. d. t. Respicit enim vocula *plerumque* exceptiones quasdam, juris Romani, propositas à consummatissimo Jcto *Jacob. Gothofred.* in *Commentar.* ad. d. t. p. m. 721.

Sed quicquid horum sit, quo inter se dissidere videtur sententiæ, hætenus pro& contra recensitæ; conspirant tamen ad eundem scopum in eo, quod præcipuum & hic unice spectandum, nimirum ut & DE O intemeratus honor, et conscientiæ piæ securitas asseratur, impiis verò ulterius peccandi libido restringatur potius quam incendatur. Hinc ne videatur nomen DE L quod inter pericula profuit, irreverentius haberi, pecuniæ promissæ jacturâ tantisper neglectâ, in tutum subducto svadet Celeberrimus Vir, ut tantam pecuniæ vim in pias causas eroget, quod satius utique, Deoque acceptius futurum videtur, quam nebulonis alicujus malitiam eadem alere. Quousque etiam omnes sententiæ conveniunt, ut Divini nominis honor ultra debitum etiam quandoque attendatur.

XIII. Quærunt amplius de Juramentis per dolum elicitis, an & illa servare teneamur? Quæ quæstio ut eo melius expediatur, distinguendum primò est, abs quo fuerit adhibitus dolus, ab eo, qui cum negotium